Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

emissionem, quem in Apostolis diffudit, et longe la-
teq; quæ per orbem terrarum in suos sanctos, per pa-
triarchas et prophetas, per apostolos et Euangelistas,
per martyres et confessores, per monachos et Virgines,
per nouem choros angelorum, per omnes sanctos, qui in
spiritu diuinæ maiestatis suæ consistunt, et fœliciter
gaudent: Vos autem semper et ubiq; contristabimini,
et ubiq; estis, semper infernum uobiscum habetis, et
gaudium non uidetur uobis aliud, nisi quantum ex
inuidia hominem à suo creatore et summo bono, po-
testis auertere, sic et uos auersi estis ad æternum
malum. Sed mirum quod hoc facere conamini ad
quod uos uestra sola stringit malitia, nequitia, et
sola inuidia, cum tamen augmentum recipitis
poenarum, quanto plures induxeritis damnos,
tanto plures habebitis poenas in Inferno. Per præ-
dictam ueritatem coniuro uos, obtestor, et ꝓcipio
uobis sub ueritate omnium articulorum prædicto-
rum, quibus maiestas diuinæ patet potentiæ, qua-
tenus absq; mora honorem et gloriam deo detis
et irreuocabiliter per potentiam diuinæ maiestatis
sitis exclusi ab hoc homine, sicut exclusi estis à regno
coelorum, et absq; mora discedatis, omnes, qui ope-
ramini iniquitatem: per eum. etc.